JOSEPHI LAURENTII MARIÆ

DE CASAREGIS

J. C. GENUENSIS COLLEGIATI,
Rotæ Florentinæ Auditoris, & pro S. Reg. Celſ.
Conſiliarii Juſtitiæ,

DISCURSUS LEGALES.
DE COMMERCIO,

In quibus fuſiſſimè tractantur Materiæ concernentes

Aſſecurationes.
Naves, Naula, & Naulizationes.
Jactus, Avarias, ſeu Contributiones.
Prædas, & Prædationes.
Societates, & Decoctiones.
Accomendas, & Implicitas.
Cambia Nundinaria, & Maritima.
Giratas literarum Cambii, & Chirographor.
Et alia ad Univerſam Mercaturam pertinentia.

TRACTATUS DE AVARIIS QUINTINI WEYTSEN in novam methodum ab Auctore noſtro ad faciliorem uſum accommodatus: nec non tractatus ipſius, IL CAMBISTA ISTRUITO; CONSULATUS MARIS, *cum ejuſdem explicatione: Et Elucubrationes, ac Reſolutiones ad Statuta Januæ de Decretis, ac de Succeſſionibus ab Inteſtato.*

QUIBUS OMNIBUS IN HAC SECUNDA EDITIONE
à pluribus præli mendis expurgata, acceſſere primæ ditiſſimæ
Additiones, & aliæ plurimæ Additiones, & Adnotationes
ejuſdem celeberrimi Auctoris nunc primùm editæ.

UNA CUM LOCUPLETISSIMIS INDICIBUS, ET SUMMARIIS denuò correctis, & ampliatis, Argumenta, Materias omnes Diſcurſuum de Commercio, Tractatus de Avariis, Cambiſtæ Inſtructi, Conſulatus Maris, & Elucubrationum, ac Reſolutionum ad Statuta Januæ &c. continentibus.

TOMUS TERTIUS.

VENETIIS, MDCCXL.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

QUINTINI WEITSEN

TRACTATUS

DE AVARIIS,

CUM OBSERVATIONIBUS

SIMONIS A LEEWEN, ET MATTHÆI DE VICQ,

In novam Methodum ad faciliorem uſum ab eodem JOSEPH MARIA DE CASAREGIS accommodatus.

§. I.

AVaria eſt (1) communis contributio rerum in navi repertarum, ad farciendum damnum bonis quorundam mercatorum ſive nauclerorum cum in finem ſponte illatum, ut vita, navis & reliqua bona (2) ſalva evadant.

§. II.

Conſiderandum eſt, hoc vocabulum (3) Avaria, apud omnes Chriſtiani nominis gentes, qualeſcumque illæ ſint, paſſim pro vernaculo (4) nimium, & uſitatum, originem habere (5) à Græcis, apud quos olim magna, & copioſa negociatio, & mercatura exercebatur, nimirum à verbo *βάρος* quod ſignificat onus, & adjectione privativa *α* quaſi ſine onere, unde *ἀβαρὴς* & inde communi lingua, Avaria: etenim Avariæ fit locus, ſi quando navis jactu facto appellit plenum onus non vehens.

§. III.

(6) Avaria duplex eſt, nimirum communis, & groſſa.

§. IV.

Avariæ communis nomine venit pecunia (7) in fundi exploratores impenſa, quam magiſter navis incidens in oras ignotas ſolvit piſcatoribus, aut aliis perſonis locorum gnaris, ut navem una cum mercibus ſalvam in tuto conſtituant: qua in parte mercatores ferè fidem habent nauclero jurato affirmanti, quantum eo nomine expenderit.

Cæterum nauclerus, ſi adſit ſuſpicio perjurii, legitime probare debet, quantum eo nomine dederit, ſolveritque, aut ſaltem ductores, exploratoreſque vadorum ſiſtere coram mercatoribus, inſtitoribuſve eorum, ſi quidem prædicti mercatores domicilium habeant in loco, ad quem navis appulerit.

Item (8) per avariam communem intelligimus, quod naucleri dant claſſis præfecto, ut ſubveniatur (9) ſumptibus ad ignes, quæſitoreſque, & *ἀκαριπισταὶ* ſive commentarienſes: videlicet ſi juſſu mandatoque Regiæ Majeſtatis, ejuſve Archithalaſſi quæſitores, aut commentarienſes in navem receperint: uti factum, quum nuper anno 1553. & 1554. VVackenius cum claſſe in Hiſpaniam tenderet.

Similiter avariæ communi imputatur, quod naucleri ſolvunt dum prætervehuntur arces, ſive in fluminibus, ſive in portubus, quemadmodum in flumine Ulyſſiponenſi, & ſinu Danico.

Item quod erogatur pro navibus hujuſmodi è prænominatis fluminibus aut portubus educendis. Atque hæ impenſæ avariæ communis farciuntur communi contributione mercium, [quarum catalogus conficitur] pro rata valoris cujuſque: navis autem ipſa ad hanc contributionem non vocatur.

§. V.

Quamvis autem ſuperius relatum ſit, pecuniam in (10) exploratores vadorum erogatam imputari avariæ communi; illud tamen intelligendum eſt, modo ſumma non excedat ſex libras Flandricas, cæteroquin adſcribitur avariæ groſſæ, adeoque farcitur collatione navis, & mercium pro rata (11) valoris cujuſque.

Britones tamen, Normanni, aliique Regni Galliarum naucleri trientem ferunt ejuſmodi expenſarum, quæ in vadorum exploratorem erogantur, etiamſi ne Aureum quidem excedant; ſed nihilominus mercatores ferè naucleris tranſmarinis permittebant, (12) conceſſerantque, ut illorum impenſis conducerent fundi exploratores, ſimulatque appropinquarent Flandriæ, aliiſve oris ſalebroſis, ad præcavendum, evitandumque multiplex navigiorum, merciumque diſpendium, quod ut plurimum incurrebant, cum nauclerus per avaritiam ſordidique ſumptibus parceret in ductorem navis faciendis, atque mercatori inferret jacturam omnium bonorum.

§. VI.

Avaria groſſa intelligitur (13) generaliter cum res quædam ſive merces (14) jaciuntur, aut cæduntur: veluti ancoræ, rudentes, mali, funes, remulca, aliaque navis armamenta, *leg. 1. & 3. D. ad l. Rhod. de jact.*

§. VII.

Notanter hic dicimus, quæ cæduntur, id eſt, reſecantur: etenim eo ipſo eximimus, quod certa tempeſtate rumpitur, aut comminuitur, cujus ratio haberi non debet, (15) ſeu paratum utendi cauſa *L. 2. §. ſi conſervatis D. ad l. Rhod. ad jactu*. Si igitur nauta ancoram, & rudentem perdat propter tempeſtatem, vel ſalebritatem fundi petroſi, id genus detrimenti contributione non farcitur, & ne quidem ſi juſſu, aut contemplatione mercatoris ex fundo ſabuloſo veniſſet in fundum petroſum, hoc damnum reparatur (16) per modum avariæ, utpote quod factum non eſt ultro, nec ejus voluntate, nec mercatorum. Interim tamen præſtare nauclero nonnihil penſationis nomine debetur: nam, & ſi nauta circa oram, quum navigantes, Tras, vocant, neceſſario ancoram jaciens, illa rudente fracto amittatur, eo cæſu ſolent illi ex gratia pro fideli opera huſtimentum dari, non verò per modum avariæ damnum farciri.

Similiter in collationem non venit, quod per incuriam, aut cæteroqui tempeſtate oborta (17) è navi debebunt.

Neque item quod effluit.